Si averteris a sabbato pedem
tuum · facere voluntatem tuam
in die sancto meo · et vocaueris
sabbatum delicatum · et sanctum
domini gloriosum · et glorificaueris
eum dum non facis vias tuas ·
et non invenitur voluntas tua ·
ut loquaris sermonem · tunc
delectaberis super domino · et sustol-
lam te super altitudines terre ·
et cibabo te hereditate iacob pa-
tris tui · Os enim domini
locutum est · Sec. Marcum
In illo tempore · Cum sero factum
esset · erat navis in medio ma-
ris · et ihesus solus in terra · Et
videns eos laborantes in
remigando · erat enim ventus
contrarius eis · et circa quartam
vigiliam noctis · venit ad
eos ambulans super mare ·
et volebat preterire eos · At
illi ut viderunt eum ambu-
lantem super mare · putauerunt
fantasma esse · et exclamaue-
runt · Omnes enim eum viderunt ·
et conturbati sunt · Et statim
locutus est eis · et dixit illis ·
Confidite · ego sum nolite
timere · Et ascendit in navem

ad illos · et cessauit ventus ·
Et plus magis intra se stu-
pebant · Non enim intellexe-
rant de panibus · erat enim
cor illorum obcecatum · Et cum
transfretassent · peruenerunt
in terram genezareth · et ap-
plicuerunt · Cumque egressi essent
de navi · cognouerunt eum
continuo · Et percurrentes
vniuersam regionem illam ·
ceperunt in grabatis eos · qui
se male habebant circumferre ·
vbi audiebant eum esse · Et
quocumque introibat in vicos
vel in villas aut civitates ·
in plateis ponebant infirmos ·
et deprecabantur eum ut vel
fimbriam vestimenti eius
tangerent · Et quotquot
tangebant eum salvi fiebant ·
Prepara nos quesumus domine · Secr
huius abstinentie festivis
officiis · ut hec sacrificia et
veneranda sobriis mentibus
celebremus · Per · Complen
Celestis vite munere ve-
getati quesumus domine · ut quod est
nobis in presenti vite mysterium
fiat eternitatis auxilium · Per

License: cc-by-nc-sa – Košice, Archív mesta Košice, fond Magistrát mesta Košice, Odd. Supplementum H, sign. H III/2 mac 43, 1v – Missal (https://fragmentarium.ms/view/page/F-3flo/7915/62945)